An. et vol. XCV 4 Iunii 2003 N. 6

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Directio: Palazzo Apostolico – Città del Vaticano – *Administratio:* Libreria Editrice Vaticana

ACTA IOANNIS PAULI PP. II

LITTERAE DECRETALES

quibus Alfonso de Orozco sanctorum honores decernuntur.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

« Qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam aeternam » (*Gal* 6, 8).

Spiritus Sanctus qui in Christi amicorum cordibus residet eosque ad Deo Ecclesiaeque serviendum per vitae operaeque sanctitatem impellit, illuminavit etiam et direxit beatum Alfonsum de Orozco, qui Iesum contuens, auctorem et consummatorem fidei (cfr *Heb* 12, 2) Evangelii lumine mundum collustravit, Dei Verbum nuntiando, misericordiae opera praestando ac spiritalitatis doctrinaeque catholicae magni momenti scripta edendo.

Fidelis hic S. Augustini discipulus die XVII mensis Octobris anno MD Oropesae Toletanae provinciae diviti e familia religiosaque ortus est, quae eum Dei semitas tenere docuit. Puer fuit aliquandiu cantor cathedralis templi Toletani atque artem musicam magno cum emolumento didicit. Dum adulescens studiorum Universitatem Salmaticensem adibat, S. Thomae a Villanova captus est sermonibus. Animadvertit ideo se a Domino ad vitam consecratam presbyteratumque vocari atque Ordinem Sancti Augustini ingressus est. In pervigilio Pentecostes anno MDXXII religiosum vestimen-

tum induit atque die IX mensis Iunii subsequentis anni vota religiosa nuncupavit. Philosophiae theologiaeque expletis curriculis anno MDXXVII sacerdotali ordine auctus est. Insignis cum esset concionator, praedicationis ei ministerium commiserunt superiores. Definitor quoque fuit provincialis, visitator et variis in coenobiis Hispanicis prior. Prudenter aequabiliterque talia sustinuit officia atque sodalibus probos per mores fuit exemplo. Ut evangelicum nuntium inter gentes diffunderet, navem conscendit Mexicum petiturus, sed repentino morbo correptus in Hispaniam remigrare est coactus. Cum prior esset coenobii Vallisoletani, quae urbs erat tunc princeps regni, concionator regis nominatus est. Matriti, quo cum ceteris aulicis venerat, sibi humile cubiculum postulavit et se superioribus subdidit, licet immediata iurisdictione suum propter officium solveretur. Etsi compluribus detinebatur officiis, infirmos, captivos pauperesque subinde invisebat, quos sollicite paterneque confirmabat et iuvabat. Cum insignis esset humanitatis litterarum, sacrorum bibliorum, patrum reique spiritalis cultor, complura scripta edidit, ut Christi vita ac normae morales liturgicaeque Ecclesiae latius cognoscerentur. Sensum momentumque orationis et Marialis devotionis explicavit, annales spiritalitatemque sui Ordinis collustravit, Dei misericordiae magnitudinem extulit. Grato animo Concilii Oecumenici Tridentini doctrinam recepit. Complura condidit coenobia Augustinianorum Augustinianarumque contemplativae vitae. Constanter perfectionis semitam tenuit. In omnibus vitae condicionibus fidem in Christum palam manifestavit virtutesque per sacrae Eucharistiae, Virginis Mariae devotionem aluit. Cum Domino coniunctionem coluit, Dei verba meditanda, assiduas precationes curavit, sibi plane conscius « precationem magnos bonorum spiritalium thesauros de Dei manibus impetrare ». Cunctis rebus in adversis tranquillus mansit, Providentiae fidens. Maiorem Dei gloriam et Regni Christi amplificationem affectavit. Senex etiam in viis ambulans universis Redemptionis bonum exhibebat. Cum Iesum diligeret indigentes homines corporis spiritusque praesidiis iuvabat ipseque regis familiam, nobiles humiliorisque ordinis personas studiose curabat.

Augustiniano in Ordine sapienter acriterque reformationis operam praestitit. Licet vitae severitatem persequeretur, humaniter benigneque officium gubernandi gessit. Religiose Ecclesiae leges ac Sancti Patris Augustini tenuit normas. Patienter infirmitates toleravit, parabili cibo potuque usus est, quietem solummodo necessariam adhibuit, sensus per voluntarias castigationes continuit. In paupertate et oboedientia cum viveret, castitatem insigniter servavit, cum per praedicationem doceret, hoc evangelico consilio servato artius cum Domino coniungi fidelem. Mense Augu-

sto anno MDXCI vehementi febri est correptus, quem infirmum primarii homines inviserunt, quorum sibi aestimationem conciliaverat. Matriti die XIX mensis Septembris eiusdem anni e vita excessit, cum usque in finem Dei amorem testaretur.

Latam propter sanctitatis apud omnes ordines invalescentem famam anno MDCXIX Processus Informativus incohatus est. His iure statutis perfectis rebus, Decessor Noster Leo XIII die XV mensis Ianuarii anno MDCCCLXXXII eum in Beatorum numero reposuit. Die XXIV mensis Aprilis anno MMI Nobis coram decretum de miraculo prodiit. Consentientibus exinde Patribus Cardinalibus Episcopisque, in Consistorio die XXVI mensis Februarii coadunatis, statuimus ut canonizationis ritus Romae die XIX mensis Maii anni MMII celebraretur.

Hodie igitur, una cum ingenti coetu Pastorum et Christifidelium ex multis populis et regionibus pie sollemnitatem celebrantes Pentecostes, invocato Spiritus Sancti auxilio, in foro Petriano inter sacra hanc pronuntiavimus formulam:

« Ad honorem Sanctae et Individuae Trinitatis, ad exaltationem fidei catholicae et vitae christianae incrementum, auctoritate Domini nostri Iesu Christi, beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, matura deliberatione praehabita et divina ope saepius implorata, ac de plurimorum Fratrum Nostrorum consilio, Beatos Alfonsum de Orozco, Ignatium a Santhià, Humilem a Bisignano, Paulinam a Corde Iesu Agonizanti et Benedictam Cambiagio Frassinello Sanctos esse decernimus et definimus, ac Sanctorum Catalogo adscribimus, statuentes eos in universa Ecclesia inter Sanctos pia devotione recoli debere. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti ».

Operositatem doctrinamque insignis huius Christi ministri extollere placet, qui sua opera luculenter in sodales colendos, in hominum salutem persequendam contulit. Exoptamus igitur ut huius caelitis testificationibus incitati homines qui nunc sunt ad superna ac caelestia certo gradu contendant.

Deinde Ipsi Nos libentes venerati sumus novum Sanctum, extollentes virtutes et merita eius, praesertim sane proponentes hominibus nostrae aetatis veluti exemplar authenticae vitae evangelicae, genuinae eius humilitatis, promptae oboeditionis et voluntariae paupertatis propter Christum.

Quae autem decrevimus, volumus nunc et in futurum tempus vim habeant, contrariis rebus quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die undevicesimo mensis Maii, anno bismillesimo secundo, Pontificatus Nostri vicesimo quarto.

EGO IOANNES PAULUS
Catholicae Ecclesiae Episcopus

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*



Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 517.190

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I

MUVATTUPUZHENSIS

Nova eparchia in India constituitur Muvattupuzhensis appellanda.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Communitates terrarum in orbe ecclesiales multiplices variasque prae se ferunt formas condicionesque, quas legitimas Nos tueri volumus, atque contendimus et studemus, ut floridiorem statum per proprium ritum illae adipiscantur. Nunc de Tiruvallensi eparchia cogitamus ac de eiusdem amplo territorio fideliumque efficaciori cura. Itaque, postquam de hac re Congregationis pro Ecclesiis Orientalibus Praefectus rettulit, iudicavimus opportunum

nonnulla loca ab eadem distrahere et novam eparchiam condere. Quapropter Apostolica Nostra de auctoritate novam eparchiam constituimus ab urbe «Muvattupuzha» *Muvattupuzhensis* appellandam, ubi eparchialis sedes locatur, quae regiones in districtis *Ernakulam*, *Thrissur*, *Palakkad* in Statu Keralensi, necnon *Coimbatore* et *Tiruchirappalli* positas complectitur, quamque metropolitanae archieparchiae Trivandrensi suffraganeam facimus. Huius provisionis exsecutionem absolvent Excellentissimus Episcopus Tiruvallensis una cum Excellentissimo Episcopo Muvattupuzhensi. Ad haec tandem perficienda consuetudines iuraque congrua serventur et quae a Codice Orientali praecipiuntur, quibusvis rebus minime officientibus.

Novensilem tandem ad hanc communitatem benignum animum Nostrum convertentes, exoptamus, ut novum spiritale iter animose ipsa suscipiat, quae per translaticias consuetudines et fervidam pietatem magnum progressum consequatur et fidelibus salutifera largiter afferat beneficia.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die undevicesimo mensis Decembris, anno Domini bismillesimo altero, Pontificatus Nostri quinto et vicesimo.

✠ Angelus card. Sodano
Secretarius Status

✠ Ignatius Moussa card. Daoud
Congr. pro Eccl. Orientalibus Praef.

Leonardus Erriquenz, *Protonot. Apost.*
Laurentius Civili, *Protonot. Apost.*

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 534.864

II

IDDUKKENSIS

Nova constituitur in India eparchia Syrorum-Malabarensium nominata «Idukkensis».

Maturescens Catholica fides ac pietas et maximis quidem auctibus intra fines Indiae non sinit tantum verum quodam modo poscit ut singulis inibi communitatibus efficientius consulatur, novis etiam passim excitandis ecclesiasticis dicionibus. Cum igitur eparchia Kothamangalamensis Syrorum Malabarensium ita tum christifidelium creverit numero tum apostolatus coti-

diani necessitatibus, haec quae sequuntur pro apostolica Nostra auctoritate statuimus fierique praecipimus. Ab ipsa commemorata eparchia Kothamangalamensi totam seiungimus regionem loca provinciae civilis dictae *Udumbanchola* necnon civilium circumscriptionum *Thodupuzha* et *Devicolam* complectentem, unde apud urbem *Idukki* novam condimus eparchiam, in posterum *Idukkensem* vocandam quam volumus veluti suffraganeam subdi archieparchiae metropolitanae Ernakulamensi-Angamaliensi, cunctis additis ei propriis iuribus et privilegiis, propriis operibus et officiis obligationibus quae in normis Codicis Canonum Ecclesiarum Orientalium recensentur de huius generis constitutione. Documentum autem hoc Nostrum sanctum ratumque in omne esse tempus iubemus, contrariis quibuslibet causis rebusve haudquaquam obsistentibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die undevicesimo mensis Decembris, anno Domini bis millesimo altero, Pontificatus Nostri vicesimo quinto.

✠ Angelus card. Sodano
Secretarius Status

✠ Ignatius Moussa card. Daoud
Congr. pro Eccl. Orientalibus Praef.

Leonardus Erriquenz, *Protonot. Apost.*
Laurentius Civili, *Protonot. Apost.*

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 534.979

III

SAXANIGRENSIS

In Mexico nova conditur dioecesis Saxanigrensis.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Sollicitus de spirituali bono suorum fidelium, Venerabilis Frater Iosephus Radulfus Vera López, O.P., sacrorum Antistes Saltillensis, audita Conferentia Episcoporum Mexici, ab hac Apostolica Sede petivit ut, quodam seiuncto territorio a circumscriptione ecclesiastica sua, nova dioecesis

condereturi. Nos vero, favente quoque eidem rei Venerabili Fratre Iosepho Bertello, Archiepiscopo titulo Urbis Salviae et in memorata Natione Nuntio Apostolico, audito consilio Congregationis pro Episcopis, enixas preces libenter audiendas esse putavimus. Summa igitur Nostra potestate sequentia decernimus: a Saltillensi dioecesi separamus integrum territorium, prout in praesens civili lege circumscribitur, municipiorum nuncupatorum: *Acuña*, *Allende*, *Guerrero*, *Hidalgo*, *Jiménez*, *Juaréz*, *Morelos*, *Múzquiz*, *Nava*, *Piedras Negras*, *Progreso*, *Sabinas*, *San Juan de Sabinas*, *Villa Unión*, *Zaragoza* et borealem partem (scilicet, a 28 gradu septemtrionalis latitudinis) municipii *Ocampo* atque ex ita distractis locis novam constituimus dioecesim *Saxanigrensem*, quae iisdem limitabitur finibus, quibus praedicta municipia simul sumpta, prout lege civili exstant, nunc terminantur. Sic conditae Ecclesiae sedem in urbe « Piedras Negras » ponimus, ibique situm paroeciale templum, Deo in honorem Martyrum a Christo Rege dicatum, ad gradum et dignitatem ecclesiae cathedralis evehimus, mandantes ut in eo Capitulum Canonicorum, ad normam iuris, instituatur. Praeterea dioecesim Saxanigrensem suffraganeam facimus metropolitanae Sedi Monterreyensi eiusque Episcopum metropolitico iuri Archiepiscopi Monterreyensis pro tempore subicimus. Cetera vero secundum canonicas leges temperentur. Quae praescripsimus perficienda committimus praedicto Venerabili Fratri Iosepho Bertello, vel, absente eo, illi, qui curat negotia Sanctae Sedis in eadem Natione, eisdem tribuentes necessarias et opportunas facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito Congregationi pro Episcopis authenticum exemplar actus peractae exsecutionis, cum primum fas erit, mittendi. Hanc denique Constitutionem Nostram nunc et in posterum ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die octavo mensis Ianuarii, anno Domini bis millesimo tertio, Pontificatus Nostri vicesimo quinto.

✠ Angelus card. Sodano
Secretarius Status

✠ Ioannes B. card. Re
Congr. pro Episcopis Praef.

Leonardus Erriquenz, *Protonot. Apost.*
Franciscus Bruno, *Protonot. Apost.*

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 534.755

IV

SAMARINDAËNSIS

In Indonesia constituitur nova Provincia ecclesiastica Samarindaënsis, cuius metropolitana Ecclesia erit sedes eiusdem nominis.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Cum Ecclesia catholica in Indonesia, in territorio Provinciae ecclesiasticae Pontianakensis, haud parva incrementa passim suscepisset, ut ipsis Episcopis, sacerdotibus, religiosis viris atque mulieribus et Christifidelibus ibidem operose adlaborantibus meritae tribueretur testimonium laudis eorumque animi incitentur ad novos maioresque in dies exantlandos labores necnon ut ipsa Ecclesia firmius constabiliretur, Congregatio pro Gentium Evangelizatione, re mature perpensa acceptisque pariter eorum, quorum interest, faventibus votis, censuit nuper novam Provinciam ecclesiasticam iisdem in locis esse condendam. Nos vero de totius Dominici gregis bono solliciti, talem sententiam ratam habentes, summa Apostolica potestate sequentia decernimus. A metropolitana sede Pontianakensi seiungimus dioeceses Tanjungselorensem, Bangiarmasinam, Palangkaraiensem et Samarindaënsem, ex iisque constituimus novam Provinciam ecclesiasticam *Samarindaënsem* atque dioecesim eiusdem nominis ad gradum archidioecesis metropolitanae evehimus cuique assignamus uti suffraganeas memoratas dioeceses Tanjungselorensem, Bangiarmasinam, Palangkaraiensem, Samarindaënsem Praesulem Florentinum Sului Hajang Hau, nominamus Archiepiscopum Metropolitam Samarindaënsem. Omnia committimus perficienda Venerabili Fratri Laurentio Fratini, Archiepiscopo titulo Botrianensi et Apostolico Nuntio in Indonesia, onere imposito sincerum exemplar actus effectae exsecutionis mittendi memoratae Congregationi. Hanc denique Constitutionem nunc et in posterum ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die decimo quarto mensis Ianuarii, anno Domini bis millesimo tertio, Pontificatus Nostri vicesimo quinto.

✠ ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

CRESCENTIUS card. SEPE
Congr. pro Gentium Evang. Praef.

Leonardus Erriquenz, *Protonot. Apost.*
Laurentius Civili, *Protonot. Apost.*

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 534.926

LITTERAE APOSTOLICAE

I

Venerabili Dei Servo Theodoro Romża Beatorum honores decernuntur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — «Donum autem Dei vita aeterna in Christo Iesu Domino nostro» (*Rom* 6, 23).

Venerabilis Dei Servus Theodorus Romża, Eparchiae Munkacsiensis ritus Byzantini pastor, res affectusque terrestres omnino posthabuit atque animum suum in perpetuam beatitudinem tantum direxit, quam Iesus suis fidelibus servis est pollicitus. Cum ipse sibi plane conscius esset, quemadmodum in epistula quadam significavit, pro Christo mori idem esse ac in aeternum vivere, suum pastorale officium absolvere perrexit, licet Sovietici eum persequerentur, atque per sanguinis effusionem suum in Deum Ecclesiamque testatus est amorem.

Dei Servus die XIV mensis Aprilis anno MCMXI in oppido *Nagybocsko*, quod in orientali plaga Transcarpatiae (Ruteniae) locatur, atque nunc ad Ucrainum agrum pertinet, ortus est. Humilis fuit eius familia et religiosa. Suam sequens vocationem, Romam petiit atque disciplinis theologicis apud studiorum Universitatem Gregorianam operam dare coepit, transmigrans deinde ad collegium Russicum. Die XXV mensis Decembris anno MCMXXXVI ordinationem presbyteralem recepit, sed ante quam studia absolveret, patriam repetere debuit ut militiae nomen daret. Ipsius curationi duae commissae sunt montanae paroeciae, quae in districtu *Huszt* reperiebantur. Dei Servus perstudiose suum explevit ministerium, ut summam apud fideles mereretur aestimationem. Cum apud Seminarium *Ungvár* philosophiam doceret, in alumnos caritatem et iustitiam exercuit, praestantis vitae patefaciens mores. Aestate anno MCMXLIV Episcopus electus est titulo Appianus et Auxiliaris Administratoris Apostolici Munkacsiensis. Die XXIV mensis Septembris anno MCMXLIV episcopalem consecrationem recepit atque duobus post annis Eparchiae factus est Administrator Apostolicus. Cum rerum potiti sunt communistae, etsi vexatus et minis affectus, in eorum partes haudquaquam transiit, sed unitatis et erga Romanum Pontificem oboedientiae servavit vinculum. Fidem palam testatus est, quam precatio, Dei Verbi lectio et meditatio, filialis in Virginem Mariam devotio alebant. Divino auxilio usque nisus, tum quoque cum condicio magis magi-

sque difficilis fiebat, suum ministerium explere absque metu perrexit: paroecias invisebat, sacris ritibus praesidebat Dei Verbum proclamando, Sacramenta ministrabat. Aperte declaravit se ad moriendum esse paratum potius quam a Christo Ecclesiaque deficeret. Die XXVI mensis Octobris anno MCMXLVII parvum pagum *Lochovo* adiit, ut paroeciale templum modo restitutum consecraret. Rediens interceptus est a Sovieticis et male est mulcatus. In valetudinarium Munkacsiense receptus, Dei Servus, mentis potestate recuperata, corollam precatoriam postulavit ut orare posset atque veniae verba in persecutores dixit. Paulo post, die I mensis Novembris, propter plagas receptas vel, ad nonnullorum opinionem, propter venenum e vita discessit.

Martyrii increbrescente fama, anno MCMXCV Munkacsiensis Episcopus beatificationis seu declarationis martyrii Causam incohavit. His rite a iure statutis peractis rebus, Nobis coram super martyrio Decretum die XXIV mensis Aprilis anno MMI prodiit. Statuimus exinde ut beatificationis ritus Leopoli Ucrainorum die XXVII mensis Iunii eiusdem anni, Nostri pastoralis itineris tempore, celebraretur.

Hodie igitur inter sacra hanc ediximus formulam:

Здійснюючи прохання наших братів,
Любомира Кардинала Гузара,
Верховного Архиепископа Львівського для українців,
Кир Івана Семедія, Епископа Мукачівського
візантійського обряду,
Кир Софрона Стефана Мудрого,
Єпископа Івано-Франківского (Станіславівського)
для українців, Кир Михаїла Колтуна,
Єпископа Сокальського для українців,
і багатьох інших братів у епископстві
та багатьох вірних, після вислухання думки
Конгрегації у справах святих,
нашою апостольською владою ми дозволяемо,
щоб відтепер і надалі всечесних Слуг Божих:
Миколая Чарнецького
і двадцять чотирьох співмучеників,
Теодора Ромжу,
Омеляна Ковча і Йосафату Гордашевську,
величати блаженними і щоб їхні празники
святкувалися кожного року
у місцях і згідно з чином, визначеними уставом,

а саме: Миколая Чарнецького
і двадцяти чотирьох співмучеників
двадцять сьомого червня;
Теодора Ромжи першого листопада;
Омеляна Ковча двадцять сьомого червня
і Йосафати Гордашевської двадцятого листопада.
В ім’я Отця і Сина і Святого Духа.
Амінь. Амінь. Аміиь.

Quae autem his Litteris decrevimus, nunc et in posterum rata et firma esse volumus, contrariis rebus minime obstantibus.

Datum Leopoli, sub anulo Piscatoris, die XXVII mensis Iunii, anno Domini MMI, Pontificatus Nostri tertio et vicesimo.

De mandato Summi Pontificis
✠ ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

Loco ✠ Sigilli
In Secret. Status tab., n. 497.601

II

Venerabili Dei Servae Mariae a Transitu a Iesu Sacramentato Beatorum honores decernuntur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — «Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater» (*Io* 12, 26).

Haec verba, a Divino pronuntiata Magistro, penitus in animo Venerabilis Dei Servae Mariae a Transitu a Iesu Sacramentato (in saec.: Mariae a Transitu Cabanillas) resonaverunt quae, studiose sancti Francisci spiritalem rationem in cotidiana vita sequens, Iesu Christo servire voluit.

Praeclara haec spiritalis sancti Francisci Asisinatis filia in Argentinae loco vulgo dicto «Carlos Paz», prope Cordubam, die XV mensis Augusti anno MDCCCXXI e fecunda et omnino christiana familia est orta. Adhuc iuvenis assidua fuit in precibus, in austeris vitae moribus, atque artam cum Christo Eucharistico coniunctionem nutrivit. Alacrem exercuit navitatem in commu-

nitate paroeciali, potissimum in catechesi tradenda et in navanda opera pro spiritali pauperum progressione. Anno MDCCCLVIII se ascripsit in Ordinem Franciscanum Saecularem. Animo in afflictorum ipsius Christi dolentis vultum percipiebat atque alacriter morbo cholerae aegrotantibus aderat. Consilio capto cum moderatore spirituali, consecratam vitam amplecti decrevit. Monasterium ingressa est Carmelitarum in urbe *Bonaërensi*, sed deinde communitatem Sororum Visitationis in Monte Visivo se rettulit. Adversam ob valetudinem in urbem natalem reversa est. Attamen, plurimis superatis difficultatibus, die VIII mensis Decembris anno MDCCCLXXVIII, ut Deus glorificaretur in opera pro spiritali pauperum bono atque in christiana iuvenum educatione, novam condidit religiosam familiam, Sorores scilicet Missionarias Franciscanas de Argentina. Serva Dei peculiares virtutes demonstravit atque in vitae variis angustiis versans, Infantem Iesum, Eucharistiam atque Virginem Sanctissimam studiose coluit. Munus moderatricis prudenter exercuit suis filiabus spiritalibus cotidianae vitae exemplum praebens. Ecclesiam Christi vehementer amavit singularique eminuit oboedientia erga ecclesiasticas auctoritates. Die II mensis Februarii anno MDCCCLXXX vota nuncupavit. Institutum a Serva Dei conditum celeriter auxit atque, sub patrocinio Fratrum Minorum susceptum, novum accepit spiritalem moderatorem, patrem Cyriacum Porreca. Ille precarias videns valetudinis condiciones Mariae a Transitu a Iesu Sacramentato, munus moderatricis generalis ipsi abrogavit. Etiam hoc in rerum contextu Serva Dei omnes difficultates pro Christi amore libenti animo pertulit ad praemium aeternum cotidie diligenter aspirans. Cordubae, die XXV mensis Augusti anno MDCCCLXXXV, pie in Domino obdormivit haec sororibus suis dicens: « Nunc nihil possum, sed de caelo multa pro vobis faciam bona ». Sanctimoniae fama crebrescente post obitum Mariae a Transitu a Iesu Sacramentato, anno MCMLXIX Processus Informativus est initiatus et anno MCMLXXIV feliciter conclusus. Expletis diligenter legibus, Nobis adstantibus die XXVIII mensis Iunii anno MCMXCIX Servam hanc Dei virtutes theologales et cardinales atque adnexas heroum in modum factitavisse est pronuntiatum. Die VII mensis Iulii anno MMI prodiit super miraculo decretum quod eiusdem Venerabilis Servae intercessioni adsignatum erat. Decrevimus igitur ut beatificationis ritus Romae perageretur die XIV mensis Aprilis anno MMII.

Hodie igitur in Petriano foro inter Missarum sollemnia hanc protulimus formulam:

« Nos, vota Fratrum Nostrorum Michaelis Cardinalis Giordano, Archiepiscopi Neapolitani, Iulii Sanguineti, Episcopi Brixiensis, Petri Cardinalis

Rubiano Sáenz, Archiepiscopi Bogotensis, Caroli Iosephi Ñáñez, Archiepiscopi Cordubensis in Argentina, Marcelli Angeli Melani, Episcopi Neuqueniani et Administratoris Apostolici Viedmensis, et Romani Arrieta Villalobos, Archiepiscopi Sancti Iosephi in Costarica, nec non plurimorum aliorum Fratrum in episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, Auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabiles Servi Dei Caietanus Errico, Ludovicus Pavoni, Aloisius Variara, Maria a Transitu a Iesu Sacramentato, Artemides Zatti et Maria Romero Meneses Beatorum nomine in posterum appellentur, eorumque festum: Caietani Errico die vicesima nona Octobris, Ludovici Pavoni die vicesima octava Maii, Aloisii Variara die decima quinta Ianuarii, Mariae a Transitu a Iesu Sacramentato die vicesima quinta Augusti, Artemidis Zatti die decima quinta Martii, et Mariae Romero Meneses die septima Iulii in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit.

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti ».

Quae autem his Litteris decrevimus, nunc et in posterum rata et firma esse volumus, contrariis quibuslibet rebus minime obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XIV mensis Aprilis, anno MMII, Pontificatus Nostri quarto et vicesimo.

De mandato Summi Pontificis
✠ ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

Loco ✠ Sigilli
In Secret. Status tab., n. 512.618

III

Venerabili Dei Servo Ludovico Pavoni Beatorum honores decernuntur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — « Omnibus omnia factus sum » (*1 Cor* 9, 22). Quod vitae propositum Paulus Apostolus usque tenuit, ad id Venerabilis Dei Servus Ludovicus Pavoni se continenter contulit, quod ad Dei amorem manifestandum per humilem studiosumque pauperiorum fratrum,

sibi a Providentia concreditorum, famulatum re illum compulit. Hi fuerunt iuvenes derelicti *Brixiensis* urbis, in qua ipse die XI mensis Septembris anno MDCCLXXXIV natus est. Presbyterali ordine anno MDCCCVII auctus, ab Episcopo suo Gabrio M. Nava suffultus, quem Secretarium itemque Canonicum Cathedralis templi nominavit, Oratorium «pro pauperculis», scilicet «pro adulescentibus illis pannosis ac laceris» condidit, qui aliis institutis illius urbis deserebantur.

Cum complurium adulescentium, qui ab omnibus deserti in locis quoad mores attinebat periculosis operari cogebantur atque christiana principia in Oratorio percepta amittebant, videret condicionem, illis domicilium, familiam, opus obtulit, Institutum condens anno MDCCCXXI S. Barnabae. «Collegium Artium» voluit, in quo adulescentium tutela cum educationis proposito coniungebatur, quod personae centralitatem amoremque, veluti praesumptionis methodi, ut aiunt, cardines, prae se ferebat. Ipse quoque animadvertit, ut in posterum illis convenienter prospiceretur, oportere ut artem quandam adipiscerentur, qua nulli obnoxii essent et societati utiles; idcirco in S. Barnabae collegio octo officinas, inter quas principem obtinuit locum typographeum, quod primum habitum est artis graphicae institutum. Surdos mutosque quoque recepit, quos perdilexit. Colonia agris colendis in oppido Saiano, prope Brixiam, adulescentibus agricolis destinavit. Ut sua opera sustentaret anno MDCCCXLVII Congregationem Filiorum Mariae Immaculatae, cuius sodales — presbyteri religiosique — ad unam missionem pertinerent ipsique «vitam omnino communem» exigerent. In praesentia sui Conditoris charisma variis in Nationibus persequitur Congregatio, rem pastoralem educationisque agendo, scripta edendo. Ut suos adulescentes a pyrobolis vastationibusque tempore «Decem Dierum» Brixiensium servaret, Ludovicus Pavoni cum illis Saianum petivit atque sibi peripneumoniam contraxit. De hoc mundo mensis Aprilis die I anno MDCCCXLIX eximiae caritatis exemplar demigravit. Per donum sui «perlibenter» factum, tener fuit parvulis postremique ordinis hominibus pater. Omnino divinae Providentiae fidens, aptissima ipse repperit instrumenta ut convenienter adulescentibus subveniretur. Illud «ora et labora» propositum officium fuit eiusdem asseclis commissum, qui vocabuntur «fratres operarii». Omnia sua consilia Ecclesiae Pastorum iudicio demandavit. Oboedientia cum humilitate simplicitateque coniuncta «praecipua virtus» eius religiosae familiae fuit. Virginem Mariam filii pietate dilexit atque Immaculatam «caelestem inspiratricem ac tutricem» putavit Congregationis.

Beatificationis Canonizationisque causam anno MCMVIII Brixiae incohata est. Die V mensis Iunii anno MCMXLVII Pius XII decretum de virtutibus heroum in modum exercitis foras emisit in quo Ludovicus Pavoni, appellatus est « alter Philippus Nerius » vel « praecursor » S. Ioanni Bosco vel S. Iosephi Benedicti Cottolengo « perfectus aemulator ». Die XX mensis Decembris anno MMI Nobis coram decretum de mira sanatione Mariae Stevani, Venerabili Dei Servo adscripta, prodiit. Statuimus ut Beatificationis ritus Romae die XIV mensis Aprilis anno MMII celebraretur.

Hodie igitur inter sacra hanc ediximus formulam: « Nos, vota Fratrum Nostrorum Michaelis Giordano, Archiepiscopi Neapolitani, Iulii Sanguineti, Episcopi Brixiensis, Petri Cardinalis Rubiano Saenz, Archiepiscopi Bogotensis, Caroli Iosephi Ñáñez, Archiepiscopi Cordubensis in Argentina, Marcelli Angeli Melani, Episcopi Neuqueniani et Administratoris Apostolici Viedmensis, et Romani Arrieta Villalobos, Archiepiscopi Sancti Iosephi in Costarica, necnon plurimorum aliorum Fratrum in episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, Auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabiles Servi Dei Caietanus Errico, Ludovicus Pavoni, Aloisius Variara, Maria a Transitu a Iesu Sacramentato, Artemides Zatti et Maria Romero Meneses Beatorum nomine in posterum appellentur, eorumque festum: Caietani Errico die vicesima nona Octobris, Ludovici Pavoni die vicesima octava Maii, Aloisii Variara die decima quinta Ianuarii, Mariae a Transitu a Iesu Sacramentato die vicesima quinta Augusti, Artemidis Zatti die decima quinta Martii, et Mariae Romero Meneses die septima Iulii in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti ».

Quod autem decrevimus volumus et nunc et in posterum vim habere, contrariis minime officientibus rebus quibuslibet.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XIV mensis Aprilis anno Domini MMII, Pontificatus Nostri quarto et vicesimo.

De mandato Summi Pontificis
✠ ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

Loco ✠ Sigilli
In Secret. Status tab., n. 514.091

IV

Sanctuarium Cracoviae Deo dicatum in honorem Divinae Misericordiae ad gradum Basilicae Minoris evehitur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — Cum postremum iter Nostrum apostolicum fecimus in dilectam Poloniae nationem, Cracoviensi in urbe spiritali cum gaudio gratiarumque actione die XVII mensis Augusti anno MMII Sanctuarium Deo consecravimus in honorem Divinae Misericordiae aedificatum, loco scilicet commorationis sanctae Faustinae Kowalska. Instante deinde Venerabili Fratre Nostro Francisco S.R.E. Cardinale Macharski, Archiepiscopo Cracoviensi, de propagatione cultus Divinae Misericordiae omnino sollicito, Apostolicae potestatis Nostrae plenitudine, de Congregationis de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum consulto, statuimus ut Sanctuarium Deo dicatum in honorem Divinae Misericordiae Cracoviensi in urbe ad titulum ac dignitatem Basilicae Minoris evehatur, omnibus adiectis iuribus et privilegiis, quae templis hoc nomine insignibus rite competunt, secundum Decretum « De titulo Basilicae Minoris » die IX mensis Novembris anno MCMLXXXIX datum. Exoptamus ut hoc Nostrum Decretum in divulgationem proficiat cultus Divinae Misericordiae tum in archidioecesi Cracoviensi tum in toto orbe terrarum atque in spiritalem cunctorum fidelium progressionem.

Contrariis quibusvis non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die VI mensis Martii, anno MMIII, Pontificatus Nostri vicesimo quinto.

IOANNES PAULUS PP. II

Loco ✠ Sigilli
In Secret. Status tab., n. 536.783

ALLOCUTIONES

I

Ad Romanae Rotae iudices.*

1. La solenne inaugurazione dell'Anno Giudiziario del Tribunale della Rota Romana mi offre l'opportunità di rinnovare l'espressione del mio apprezzamento e della mia gratitudine per il vostro lavoro, carissimi Prelati Uditori, Promotori di Giustizia, Difensori del Vincolo, Officiali e Avvocati. Ringrazio cordialmente Mons. Decano per i sentimenti manifestati a nome di tutti e per le riflessioni sviluppate sulla natura e sui fini del vostro lavoro.

L'attività del vostro Tribunale da sempre è stata altamente apprezzata dai miei venerati Predecessori, che non hanno mancato di sottolineare che amministrare la giustizia presso la Rota Romana costituisce una diretta partecipazione ad un aspetto importante delle funzioni del Pastore della Chiesa universale.

Da ciò il particolare valore nell'ambito ecclesiale delle vostre decisioni, che costituiscono, come da me affermato nella *Pastor bonus*, un punto di riferimento sicuro e concreto per l'amministrazione della giustizia nella Chiesa.[1]

2. Attesa la marcata prevalenza delle cause di nullità di matrimonio deferite alla Rota, Mons. Decano ha sottolineato la profonda crisi che attualmente investe il matrimonio e la famiglia. Un dato rilevante che emerge dallo studio delle cause è l'offuscamento tra i contraenti di ciò che comporta, nella celebrazione del matrimonio cristiano, la sacramentalità del medesimo, oggi assai frequentemente disattesa nel suo intimo significato, nel suo intrinseco valore soprannaturale e nei suoi positivi effetti sulla vita coniugale.

Dopo essermi soffermato in anni precedenti sulla dimensione naturale del matrimonio, vorrei oggi richiamare la vostra attenzione sul peculiare rapporto che il matrimonio dei battezzati ha con il mistero di Dio, un rapporto che, nell'Alleanza Nuova e definitiva in Cristo, assume la dignità di sacramento.

Dimensione naturale e rapporto con Dio non sono due aspetti giustapposti: anzi, essi sono così intimamente intrecciati come lo sono la verità sull'uomo e la verità su Dio. Questo tema mi sta particolarmente a cuore: torno su di esso in questo contesto, anche perché la prospettiva della comunione dell'uo-

* Die 30 Ianuarii 2003.

[1] Cfr art. 126.

mo con Dio è quanto mai utile, anzi necessaria, per l'attività stessa dei giudici, degli avvocati e di tutti gli operatori del diritto nella Chiesa.

3. Il nesso tra la secolarizzazione e la crisi del matrimonio e della famiglia è fin troppo evidente. La crisi sul senso di Dio e sul senso del bene e del male morale è arrivata ad oscurare la conoscenza dei capisaldi dello stesso matrimonio e della famiglia che in esso si fonda. Per un ricupero effettivo della verità in questo campo, occorre riscoprire la dimensione trascendente che è intrinseca alla verità piena sul matrimonio e sulla famiglia, superando ogni dicotomia tendente a separare gli aspetti profani da quelli religiosi, quasi che esistessero due matrimoni: uno profano ed un altro sacro.

« Dio creò l'uomo a sua immagine; a immagine di Dio lo creò; maschio e femmina li creò ».[2] L'immagine di Dio si trova anche nella dualità uomo-donna e nella loro comunione interpersonale. Perciò, la trascendenza è insita nell'essere stesso del matrimonio, già dal principio, perché lo è nella stessa distinzione naturale tra l'uomo e la donna nell'ordine della creazione. Nell'essere « una sola carne »,[3] l'uomo e la donna, sia nel loro aiuto reciproco che nella loro fecondità, partecipano a qualcosa di sacro e di religioso, come ben mise in risalto, richiamandosi alla coscienza dei popoli antichi sulle nozze, l'Enciclica *Arcanum divinae sapientiae* del mio predecessore Leone XIII.[4] Al riguardo, egli osservava che il matrimonio « fin da principio è stato quasi una figura (adumbratio) dell'incarnazione del Verbo di Dio ».[5] Nello stato di innocenza originaria Adamo ed Eva avevano già il dono soprannaturale della grazia. In questo modo, prima che l'incarnazione del Verbo avvenisse storicamente, la sua efficacia di santità già si riversava sull'umanità.

4. Purtroppo, per effetto del peccato originale, ciò che è naturale nel rapporto tra l'uomo e la donna rischia di essere vissuto in modo non conforme al piano e alla volontà di Dio e l'allontanamento da Dio implica di per sé una proporzionale disumanizzazione di tutte le relazioni familiari. Ma nella « pienezza dei tempi », Gesù stesso ha restaurato il disegno primordiale sul matrimonio[6] e così, nello stato di natura redenta, l'unione tra l'uomo e la donna non solo può riacquistare la santità originaria, liberandosi dal peccato, ma viene realmente inserita nello stesso mistero dell'alleanza di Cristo con la Chiesa.

[2] *Gn* 1, 27.
[3] *Ibid.* 2, 24.
[4] 10 febbraio 1880, in *Leonis XIII P.M. Acta*, vol. II, p. 22.
[5] *Ibid.*
[6] Cfr *Mt* 19, 1-12.

La Lettera di san Paolo agli Efesini collega direttamente il racconto della Genesi con quel mistero: « Per questo l'uomo lascerà suo padre e sua madre e si unirà alla sua donna e i due formeranno una carne sola.[7] Questo mistero è grande; lo dico in riferimento a Cristo e alla Chiesa! ».[8] L'intrinseco nesso tra il matrimonio, istituito al principio, e l'unione del Verbo incarnato con la Chiesa si mostra in tutta la sua efficacia salvifica mediante il concetto di sacramento. Il Concilio Vaticano II esprime questa verità di fede dal punto di vista delle stesse persone sposate: « I coniugi cristiani, in virtù del sacramento del matrimonio, col quale essi sono il segno del mistero di unità e di fecondo amore che intercorre fra Cristo e la Chiesa, e vi partecipano,[9] si aiutano a vicenda per raggiungere la santità nella vita coniugale, nell'accettazione e nell'educazione della prole, e hanno così, nel loro stato di vita e nel loro ordine, il proprio dono in mezzo al Popolo di Dio ».[10] L'intreccio tra ordine naturale ed ordine soprannaturale viene subito dopo presentato dal Concilio anche in riferimento alla famiglia, inseparabile dal matrimonio e vista come « chiesa domestica ».[11]

5. La vita e la riflessione cristiana trovano in questa verità una fonte inesauribile di luce. In effetti, la sacramentalità del matrimonio costituisce una via feconda per penetrare nel mistero dei rapporti tra la natura umana e la grazia. Nel fatto che lo stesso matrimonio del principio sia diventato nella Nuova Legge segno e strumento della grazia di Cristo, si evidenzia la trascendenza costitutiva di tutto ciò che appartiene all'essere della persona umana, ed in particolare alla sua relazionalità naturale secondo la distinzione e la complementarità tra l'uomo e la donna. L'umano e il divino s'intrecciano in modo mirabile.

L'odierna mentalità, altamente secolarizzata, tende ad affermare i valori umani dell'istituto familiare staccandoli dai valori religiosi e proclamandoli del tutto autonomi da Dio. Suggestionata com'è dai modelli di vita troppo spesso proposti dai mass-media, si domanda: « Perché si deve essere sempre fedeli all'altro coniuge? » e questa domanda si trasforma in dubbio esistenziale nelle situazioni critiche. Le difficoltà coniugali possono essere di varia indole, ma tutte sfociano alla fine in un problema di amore. Perciò, il precedente interrogativo si può riformulare così: perché bisogna sempre amare l'altro,

[7] *Gn* 2, 24.
[8] *Ef* 5, 31-32.
[9] Cfr *ibid.* 5, 32.
[10] Cost. dogm. *Lumen gentium*, 11.
[11] Cfr *ibid.*

anche quando tanti motivi, apparentemente giustificativi, indurrebbero a lasciarlo?

Si possono dare molte risposte, tra cui hanno senz'altro molta forza il bene dei figli e il bene dell'intera società, ma la risposta più radicale passa anzitutto attraverso il riconoscimento dell'oggettività dell'essere coniugi, visto come dono reciproco, reso possibile ed avallato da Dio stesso. Perciò la ragione ultima del dovere di amore fedele non è altra che quella che è alla base dell'Alleanza divina con l'uomo: Dio è fedele! Per rendere possibile la fedeltà di cuore al proprio coniuge, anche nei casi più duri, è quindi a Dio che bisogna ricorrere, nella certezza di riceverne l'aiuto. La via della mutua fedeltà passa, peraltro, attraverso l'apertura a quella carità di Cristo, che «tutto copre, tutto crede, tutto spera, tutto sopporta».[12] In ogni matrimonio si rende presente il mistero della redenzione, operata mediante una reale partecipazione alla Croce del Salvatore, secondo quel paradosso cristiano che lega la felicità all'assunzione del dolore in spirito di fede.

6. Da questi principi si possono trarre molteplici conseguenze pratiche, d'indole pastorale, morale e giuridica. Mi limito ad enunciarne alcune, connesse in modo speciale con la vostra attività giudiziaria.

